

nihil præter titulum habere, & esse Papalis Hierarchiæ propaginem, vt pronūtiem Deum iam per sæculum integrum non habuisse in Anglia puram, orthodoxam, & visibilem Ecclesiam: in ea enim nullo tempore defuerunt fideles verbi Dei Ministri, qui nonnullibi extra conspectum Episcoporum sedulò prædicationi incumberent, & ritè Sacramenta administrarent. An si multi è turba Christiana vel Hæresi laborant, vel ius Prætorium in Domini hæreditatem sibi assumunt, statim maxima pars Ecclesiæ gemens sub paucorum tyrannide, excidet nomine & gratia veræ Ecclesiæ? Neque etiam putes me confestim Scotorum causam agere, & probare per omnia eorum in deturbandis Episcopis consilium præceptis, meque fauere eorum causæ, qui existimant nullam Ecclesiam ritè administrari, quam quæ caret Episcopis. Quinimò crediderim, idque credidit vetus Ecclesia, optimum regimen Ecclesiæ, concordiam & vnionem fouens, nec repugnans cum Christi & Apostolorum institutione, qua præcipitur vt omnia decenter & ordinatè in Ecclesia administrantur, & confusio vitetur,

vitetur,